

ut supra dictum fuit, sæculo XV; idque putatur factum, vel quia S. Laurentii cultus celeberrimus fuit semper Romæ (vocabatur quidem hic Sanctus SS. Apostolorum Petri et Pauli suppar), vel quia tanti Sacrificii egregius fuit minister, vel quia petitio hujus Orationis concordat cum ea quæ prima dicitur, petitur enim gratia contra flammam vitiorum et cupiditatum.

III. Summus Pontifex Leo XIII, die 20 Decembris 1884, concessit Sacerdotibus Indulgentiam unius anni, pro recitatione, post Missæ celebrationem, Cantici *Benedicite*, et Psalmi *Laudate*, cum Versiculis et tribus Orationibus adnexis, necnon duarum Orationum in Missali descriptarum, quarum altera est S. Thomæ Aquinatis, et incipit: *Gratias tibi ago, etc.*, altera vero S. Bonaventuræ, et incipit: *Transfige, dulcissime etc.*

Idem Summus Pontifex, eadem die, varias Indulgentias concessit, pro recitatione, a Sacerdotibus facta, plurium precum et Orationum, tum ante, tum post Missæ celebrationem.

(Cfr. Rescriptum concessionis, et textum precum et Orationum a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præposita exhibitum, apud *Acta Sanctæ Sedis*, Volumen XVII, 1884, pag. 403-416. Cfr. etiam *Manuale Clericorum*, usui alumnorum Seminarii Mechliniensis destinatum.)

O quam magnum et honorabile est officium Sacerdotum, quibus datum est Dominum majestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, et cæteris ministrare!

Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeamus.

(De Imitatione Christi. Liber IV, Caput XI, nn. 6, 8.)

SECTIO II

De Missis quæ Officio non sunt conformes

CAPUT I

DE MISSIS VOTIVIS

NOTIONES PRÆVLÆ

DE DEFINITIONE ET VARIIS GENERIBUS MISSARUM VOTIVARUM

Q. 204. *Quæ Missa vocatur Votiva?*

R. Missa Votiva ea sola hic intelligitur, quæ, ex voto vel voluntate, sive Sacerdotis Missam celebrantis, sive ejus qui ipsam celebrari præscribit, aut permittit, aut petit, non correspondet Horis canonicis, a Sacerdote qui hujusmodi Missam celebrat, eadem die recitatis juxta Kalendarium seu Directorium Diœcesanum aut particulare. Excipitur tamen Missa de *Requiem*.

NOTA. I. Ex data definitione sequeretur Missas de *Requiem* etiam esse Votivas; sunt equidem, sed cum istæ Missæ habeant suas regulas speciales, omnino distinctas a regulis Missarum Votivarum, de quibus nunc studium instituitur, excluduntur in fine datæ definitionis.

NOTA. II. Non sunt Missæ Votivæ strictè sumptæ illæ quæ celebrantur conformes Officiis Votivis, concessis Indulto Apostolico 5 Julii 1883, pro singulis Hebdomadæ diebus liberis (cfr. Q. 41); modo Sacerdotes has Missas celebrantes Officia Votiva respectiva recitaverint, ut postea latius dicitur. (Cfr. Q. 226, Nota II.) Inscribuntur tamen in Missali Romano « Missæ Votivæ » eo scilicet sensu, quod, sicuti « Officia Votiva » quibus correspondent, ita et ipsæ non sunt Missæ propriæ eorum in quibus dicuntur dierum anni ecclesiastici; vel, quod sunt Missæ propriæ Officiorum Votivorum.

Q. 205. *Quotuplici ratione, et quomodo distinguuntur Missæ Votivæ?*

R. I. Missæ Votivæ duplici ratione distingui possunt: 1^o Ratione objecti, de quo aliqua Missa Votiva celebratur; 2^o ratione solemnitatis intrinsecæ.

II. 1^o Ratione objecti de quo Missæ Votivæ celebrari possunt, triplex genus Missarum Votivarum distinguitur; dicuntur enim:

- a) vel de Sanctis;
- b) vel de Mysteriis;
- c) vel pro diversis necessitatibus.

2^o Ratione **solemnitatis intrinsecæ**, itidem triplex genus Missarum Votivarum distinguitur: possunt enim esse:

- a) vel Missæ Votivæ solemnnes stricte dictæ;
- b) vel Missæ Votivæ privilegiatæ;
- c) vel Missæ Votivæ privatæ.

NOTA. Hac super distinctione sub 2^o dicere lubet, usuales in materia Missarum Votivarum terminos **Missæ solemnnes** et **Missæ privatæ** nullo pacto referri ad solemnitatem extrinsecam quacum celebrantur hujusmodi Missæ; id est, non significare quod Missæ Votivæ hic distinguantur, secundum quod celebrantur extrinsece solemniter, cum assistentia nempe Diaconi et Subdiaconi, aut saltem in cantu; vel solum legantur seu extrinsece privatim celebrantur (cfr. QQ. 5 ad 8); agitur hic de natura Missarum Votivarum, earumque valore intrinseco, juxta quem aliæ ex eis potiores sunt, sive ex gravitate causæ ob quam celebrantur, sive ex consideratione ejus qui eas celebrare mandat, et dicuntur **solemnnes**; aliæ minoris æstimantur, cum non gravis, sed rationabilis tantum causa, non superioris voluntas, sed particularis tantum personæ votum interponatur, quæ vocantur **privatæ**: aliæ tandem medium tenent, quæ ob causas non stricte graves, sed ex circumstantiis valde rationabiles, ab auctoritate legitima quasi indulgentur, et dicuntur **privilegiatæ**. Ex his autem ob intrinsecam solemnitatem, seu intrinsecum valorem tripliciter distinctis Missis Votivis, si quæritur de extrinseca quacum celebrantur solemnitate, nonnullæ equidem, solemnnes scilicet et quædam privilegiatæ, semper celebrari debent cum extrinseca solemnitate, aut saltem in cantu; aliæ vero, nempe ex privilegiatis diversæ, et privatæ omnes, possunt quidem celebrari cum solemnitate extrinseca, etsi intrinsece solemnnes non sint, sed non debent, ac possunt etiam celebrari tamquam extrinsece privatæ, seu legi. — Unde efficitur: Missa Votiva privata potest solemniter celebrari.

S. Rituum Congregatio, in Decreto Generali de Missis Votivis (30 Junii 1896, n. 3922), distinguit Missas Votivas quæ solemniter aguntur pro re gravi et publica Ecclesiæ causa (§ II), a Missis Votivis quæ celebrantur vel privatim (intellige: sine cantu), aut saltem ex causa privata (§ III); sub his intelligens (§ IV), in specie, Missas Votivas solemnnes (intellige: cum cantu), ex causa non publica celebratas. Istæ sunt Missæ Votivæ privatæ solemniter celebratæ.

Q. 206. *Quid est Missa Votiva solemnnes, et cujus est ritus?*

R. I. Missa Votiva solemnnes illa est quæ celebratur 1^o pro re gravi, vel publica Ecclesiæ causa, 2^o cum solemnitate extrinseca, 3^o auctoritate Ordinarii, seu de ejus consensu.

Dicitur: 1^o **pro re gravi**, vel publica Ecclesiæ causa: debet itaque causa ob quam hujusmodi Missa Votiva queat celebrari, esse gravis, debet esse vera necessitas quædam spiritualis vel temporalis; ex. gr., beneficium obtinendum, afflictio avertenda, gratiarum actio agenda; — debet causa esse publica, quæ communitatem ipsam afficiat; ex. gr., beneficium pacis, pluvie, serenitatis, obtinendum; afflictio belli, morbi contagiosi, mortis aut infirmitatis personæ publicæ, avertenda; gratiarum actio pro obtento magno beneficio communi, pro depulsa communi afflictione, agenda.

2^o **solemniter celebranda**: id est, debet Missa Votiva celebrari, si non cum omni solemnitate extrinseca, saltem tamen cum cantu; et quidem cum interventu Magistratus, aut saltem Cleri et populi. — Numquam autem legitur, seu privatim celebratur hujusmodi Missa; nam, etiamsi causa esset gravis, deficiente Missæ solemnitate extrinseca, deficeret conditio privilegiorum.

3^o **ab Ordinario præscripta**, aut saltem de ejus consensu, pro qualibet vice obtinendo, celebrata: Ordinarius hic intelligitur Summus Pontifex, Episcopus Diocesis, aut auctoritas Diocæsanæ quæ Episcopi vices agit. Si in aliquo particulari loco, civitate aut pago causa gravis et publica adesset, non licet Decano vel Parocho, sua propria auctoritate Missam Votivam solemnem decernere, sed ad Ordinarium est recurrendum.

II. Missa Votiva solemnnes semper est ritus duplicis; itaque per se unam tantum admittit Orationem.

Q. 207. *Quæ Missæ Votivæ hic intelliguntur privilegiatæ, et quisnam est earum ritus?*

R. I. Missæ Votivæ privilegiatæ hic intelliguntur illæ Missæ, Officiis divinis dierum in quibus celebrantur non conformes, quæ vel ex speciali Sedis Apostolicæ gratia permittuntur, vel etiam ejusdem auctoritate præscribuntur; causæ ob quas conceduntur, vel præ-

scribuntur, non sunt semper publicæ, neque graves, sed de convenientia, aut opportunitate; solemnitas extrinseca pro quibusdam ex eis est observanda, pro aliis vero non requiritur. Ex tribus conditionibus Missæ Votivæ solemnitas stricte dictæ, una alterave quidem pro Missis Votivis privilegiatis poterit adesse, sed tres simul stricte sumptæ generatim non reperiuntur.

Sub hac denominatione intelliguntur, ex. gr., Missa Votiva de SS. Sacramento, in Oratione XL Horarum, seu in Adoratione perpetua; Missa Votiva pro sponso et sponsa; Missa Votiva de SS. Corde Jesu in Feria VI quæ prima in unoquoque mense occurrit; etc.

Pro celebratione hujusmodi Missarum accurate attendendus est tenor privilegiorum, quæ stricte quidem semper sunt interpretanda.

II. Missæ Votivæ privilegiatæ sunt ritus duplicis; diversa tamen sunt earum privilegia, quoad Commemorationes speciales admittendas. Una excipitur Missa Votiva « pro sponso et sponsa », quæ celebratur ritu simplici, etiamsi adhiberetur extrinseca solemnitas.

Q. 208. *Quæ Missa Votiva dicitur privata, et cujus est ritus?*

R. I. Missa Votiva privata dicitur illa, quæ celebratur — pro re quæ quidem gravis esse potest, sed non debet; et ex causa non publica, sed privata, rationabili tamen; — et speciali devotione, aut desiderio, sive Sacerdotis qui litat, sive fidelis qui Missam petit; — celebratur hujusmodi Missa vel solemniter vel privatim.

Causa indicatur privata; quod est intelligendum, non præcise in opposito cum publica seu communi, quasi pro utilitate unius alteriusve privati tantum semper foret celebranda hæc Missa, nam et aliquando pro tota communitate, pro integro loco, pago, civitate celebranda erit: sed potius eo sensu, quod pro hujusmodi Missa interponatur, non auctoritas ecclesiastica mandans aut permittens, ratione causæ gravis vel publicæ; sed tantum votum seu desiderium privati vel privatorum, quin etiam totius communitatis, etiamsi voti seu desiderii objectum esset in se grave, et ad totam communitatem referretur.

Exempli gratia, si Parochus, occasione morbi contagiosi in parochia grassantis, Missam Votivam celebrare intendit, pro sua devotione, ad malum avertendum; licet jam causa hujusmodi sit in se amodo gravis, et ad omnes parochianos referatur, tamen, non interveniente mandato vel permissione auctoritatis ecclesiasticæ, censetur causa privatorum, et Missa erit manebitque Votiva privata.

II. Missa Votiva privata est ritus simplicis; unde tres numero saltem Orationes in ea dici debent, pluresque usque ad quinque vel septem dici possunt. (Cfr. QQ. 72, 86.)

Dicendum erit: 1º de Missis Votivis ratione objecti de quo dici possunt; 2º de Missis Votivis ratione solemnitatis intrinsecæ.

ARTICULUS I

DE MISSIS VOTIVIS RATIONE OBJECTI DE QUO DICI POSSUNT

§ I. De Missis Votivis de Sanctis

Sæpius petuntur Missæ celebrandæ in honorem Sanctorum, et præsertim in honorem B. Mariæ Virginis. Facilitatis et claritatis gratia, juvat separatim regulas exponere de formulari adhibendo a) pro Missis Votivis de B. Maria Virgine; b) pro Missis Votivis de reliquis Sanctis.

A. De Missis Votivis in honorem B. Mariæ Virginis

Q. 209. *Quot et quæ reperiuntur in Missali Romano Missæ Votivæ de B. Maria Virgine?*

R. In Missali Romani quinta parte (cfr. Q. 37), assignantur quinque Missæ Votivæ de B. Maria Virgine, pro tot diversis temporibus anni ecclesiastici, scilicet:

1º Missa dicenda ab initio Adventus usque ad Nativitatem Domini;

2º Missa dicenda a Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis B. Mariæ Virginis, 2 Februarii;

3º Missa dicenda a Purificatione usque ad Pascha;